Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26474
Copyright: Admont, Benediktinerstift

laudaret. et ea cui gubernatione et dispositione deo ministraret. et ex tantarum rerum scientia cum suo auctore glorificari possit.

De causa multitudinis angelorum.

Ob multiplices ministeriorum causas in machina mundi oportuit multos rationales spiritus creari. ipsos autem dei nuncios et angelos appellamus. Non enim tantis administrationibus unus posset sufficere. et tamen auctore optimum erat copiam ministrorum habere. et infinite caritatis munificentia voluit eisdem actorum meritis suam gloriam erogare.

De necessitate conditionis et qualitatis angelorum.

Liberum arbitrium bene et male merendi fuit angelis de necessitate conferendum. Porro cum in deo iusticiam dicamus. ad descriptionem iusticie sequitur ut eum bene merentium remuneratorem et malorum punitorem credamus esse. Si ergo esset ex necessitate astrictus angelus deo facere quod tenetur. non bene mereretur. Cum bene mereri apud deum dicitur qui nulla necessitate compulsus libens deo facit quod debet. et si non meretur non remuneraretur. Pari modo si ipsum ad malum compulisset in natura necessitas ut debitum honorem solvere deo nequivisset. non esset imputandum sed potius ei tale causa. non ergo male meretur nec puniri debet. quare liberum arbitrium de necessitate iusticie fuit angelis conferendum. nam cum iusticia non nisi bene merentes remuneret. et malos tantum puniat. non bene nisi qui nulla necessitate sed propria libertate se inclinat ad bonum. et de malo similiter. Quod si ex necessitate boni vel mali essent angeli. nec premium acciperent. nec penam incurrerent. quod esset contra iusticie et equitatis contrarium.

De natura angelorum.

Angelorum naturam fortem et subtilem et multiplici gratia ditatam esse credendum est. Angeli tantarum rerum ministeriis deputati. quantas cum septimum quam sextum proponit theorema non possunt sufficere. nisi dive essent potentes nature. preterea cum divinis secretis assistant. ut in supremis ministrent officiis. eos sapientes et cautos et providos angelos libero arbitrio gaudentes esse necesse est. et ita patet eos multiplici gratie munere fuisse ditatos.

De merito et necessitate bene merendi.

Ut bene merentur angeli tenentur libero arbitrio uti ad bonum. Cum enim liberum arbitrium habeant sicut proponit octava. et de ratione subiectionis tenentur deum timere et illi servire in omnibus sicut iam probatum est. ergo liberum arbitrium ad illud debent reflectere. et si ad aliud reflectant si liberum etc. ex descriptione bene merendi apud deum. quare bene merentur apud deum angeli qui libero arbitrio ad bonum utuntur et sic habemus propositum.

De necessitate dampnationis male merentium.

Angeli male merentes libero arbitrio irremediabiliter fuere dampnandi. Nam cum theorematis tenore perpenso cum fortis angelorum natura posset et deberet peccato resistere. et ex multiplici gratie dono suo actori obedire perpensius tenebantur. nullatenus fuere digni remedio. sed deum inhonorantes libero arbitrio sunt abusi.

De largitate virtutis dei.

Caritas et humilitas dei ad omnia pretenduntur. Non potest esse caritas maior quam caritas dei que suprema est in deo. sicut tertium proponit theorema. ergo in infinitum est magna caritas in deo. ergo in infinitum ampliatur. et extenditur ergo ad omnia. et sic de humilitate arguitur.

De necessitate creationis hominis.

Cum omnis res aliquid in sui natura commune habens sapientie et glorie dei communicatur. de vilissima natura materiarum fuit procreandus. et illud hominem appellamus. Cum enim per premissam caritate dei ad omnia excellentiam esse habeam. et quod omni rei aut aliter habita cum omni re eandem naturam non caret. sed non omni rei facere sic debuit. Gloria enim dei inutilis insensatis et brutis. ergo oportuit esse quod haberet convenientiam cum omni re aliquid ratione utens ad illam gloriam comprehendendam. sed cum ampliatissima sit in deo humilitas. ut probat theorema premisso. ut minima maximis equarentur oportuit fuisse de humillima materia illa re fuisse plasmandum. Sed nulla humilior est quam terra. ergo de terra formatus homo rationalis. ut angelus. et inanimatis corporeus. et animatis vivens constans ex quatuor elementis suprema gloria percepturus.